magna humilitate precipuus et habebat in ci-
uitate sororem meretricem que multis animabus perdicio
fuerat. Frequenter ergo insultabant fratres seni illi et
uix potuit persuadere quod ueniret ad eam
causa salutis sue ut per admonitionem eius posset pec-
catum quod per eam fiebat emittere. Cum autem uenis-
set ad locum quendam ex notis eius uidens eum precessit
et nunciauit illi dicens. Ecce frater tuus uenit
ad te. Illa autem pre gaudio relictis amatoribus
suis quibus ministrabat capite nudato ad occur-
rendum fratri egressa est. Cum ergo temptaret eum
amplecti dixit ei senex. Soror mea karissima parce
anime tue quoniam propter te pereunt multi et quemadmodum
poteris sufferre illa amara et eterna tormenta.
At illa contremiscens ait ad eum. Scis frater quod est mihi
salus uel amodo. Cui ille. Si uolueris est salus.
Illa autem iactans se ad pedes fratris petebat ut
eam secum duceret in desertum. Cui frater. Vade coo-
peri caput tuum et sequere me. Cui illa. Eamus frater.
oportet enim me deformi inter homines nudo capite
ambulare potius quam officinam peccati mei iterum ingredi.
Dum autem pariter ambularent monebat eam ad penitentiam.
Videns autem quod quidam obuiabant sibi dixit illi. Quoniam non
omnes homines sciunt quod soror mea es parum secede
de uia donec transeant. Et post transgressos illos uocauit
eam. Illa autem non respondit ei. Qui statim perquirens inuenit
eam iam mortuam et uestigia eius plena sanguine.
erat enim discalciata. Cum autem senibus annunciasset
sem contendebant inter se de   eius. Manifestatum autem est
uni seni de ipsa eo quod cura illa fuit ei in tam

Horribile nota